

*moldo, Henricos bellis distractos, non potuisse intendere animos in tam salutare atque ad eterna profuturum opus. Quum enim de Slavis tradit, horum conversionem, inquit, Henriciani Cæsares non modicè retardarunt, domesticis videlicet pręgravati: l. 1. cap. 40. Quod quin vel maximè pertineat ad Pomeranos, nulli dubitamus, tum propter ea, quę mox de Pomeranis subjicit Helmoldus. tum ob historia Henricianę contextum, tum ob epistolam sacerdotum Bambergensium, qui Ottonis Episcopi ex Pomerania reditum instantissimè flagitabant, propterea quòd Henricus V. late vastaret agrum Bambergensem, tum quòd Conrado III. regi Romanorum (vulgus imperatorem vocat contra indolem veteris styli Teutonici, in quantum pragmatici) curati hujus sacri negotii laus tribuatur, Ubb. Emm. rer. Frisicar. hist. ad A. 1147. quanquam iste Vandalos pro Venedis haud scite habet. Verum mitius pronuntiandum est de Henricis, ut jam ante nos Monachus Italianus Onuphrius Panvinus, quippe qui odii Pontificum dissi- diisque Ordinum impediti, suscipere hoc propaganda religionis munus requi- verunt. In qua parte & laudamus candorem Helmoldi, cum domesticis pręgravatos scribit, & simul notamus quaecunqve studii Pontificii aucto- ramentum, quum 1. Cæsares, 2. Henricianos appellat: altero enim ex obli- quo saltem juri imperatorio detrahere videtur, altero innuere heresim, si intelligat Henricianos notione Ecclesiastica, qua nomen ferunt ab Henrico IV. Imperatore, & postulantur criminis, quod dicitur Simonia, quanquam revera tantum convellebant injustum Pontificis dominatum: J. H. Hottinger Hist. Sacr. N. T. secul XII. p. 300. Diversi enim ab his sunt, qui ap- pellati sunt ab Henrico Tholosano, de quibus videatur Jo. Gualterius Elenck. bares p. 538. Jo. Micralius Syntagm. hist. Eccles. p. 765.*

6. Sed quamvis hæc & alia Pomeranorum animos exacerbas- sent valde, jamque alienassent \* prope à Christianis, quò & fugerent horum societatem, & infectarentur mores, tamen effecit cura Polonorū regis Boleslai Crivousti, (m) atque industria Ottonis Episcopi Bambergensis, ut absisterent contumacibus inceptis, missumqve facerent bar- barum ritum, ac Dei beneficio imbuerentur sanctioribus doctrinis.

\* Etiam paupertas Christianorum sacerdotum inuisa, contra pompę splendorisq; admiratio fuit, Cramerus H. Eccl. 1. c. 11. & 16. collat-

Quod  
alii